

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Terentivs,|| A` M. Antonio Mvreto|| locis prope
innumerabilibus|| emendatus.||**

Terentius Afer, Publius

Venetiis, 1558 [erschieden] 1559

Prologvs.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-723936](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-723936)

P R O L O G V S .

Ecyra est huic nomen fabulæ . hæc cum data
 h Est noua, nouū interuenit uitium, & calamitas,
 vt neque spectari, neque cognosci potuerit :
 Ita populus studio stupidus in funambulo
 Animum occuparat . nunc hæc plane est pro noua :
 Et is, qui scripsit hanc, ob eam rem noluit
 Iterum referre, ut iterum possit uendere .
 Alias cognostis eius : quæso hanc noscite .
 Orator ad uos uenio ornatu prologi .
 Sinite exorator sim, eodem ut iure uti senem
 Liceat, quo iure sum usus adolescentior,
 Nouas qui exactas feci ut inueterascerent,
 Ne cum poeta scriptura euanesceret .
 In his, quas primum Cæciliij didici nouas,
 Partim sum earum exactus, partim uix steti .
 Quia scibam dubiam fortunam esse scenicam,
 Spe incerta, certum mihi laborem sustuli .
 Easdem agere cœpi, ut ab eodem alias discerem
 Nouas studiose, ne illum ab studio abducerem .
 Perfeci, ut spectarentur . ubi sunt cognitæ,
 Placitæ sunt . ita poetam restitui in locum,
 Prope iam remotum iniuria aduersarium
 Ab studio, atque ab labore, atque ab arte musica .
 Quod si scripturam spreuissem in præsentia, &
 In deterrendo uoluisssem operam sumere,
 Vt in ocio esset, potius quàm in negocio :
 Deterruissem facile, ne alias scriberet .
 Nunc quid petam, mea caussa, æquo animo attendite .

H E C Y R A

Hecyram ad uos refero, quam mihi per silentium
 Nunquā agere licitum est, ita eam oppressit calamitas,
 Eam calamitatem uestra intelligentia
 Sedabit, si erit adiutrix nostrae industriae.
 Cum primum eam agere coepi, pugilum gloria,
 Funambuli eodem accessit expectatio:
 Comitum conuentus, studium, clamor mulierum
 Fecere, ut ante tempus exirem foras,
 Vetere in noua coepi uti consuetudine,
 In experiundo ut essem: refero denuo;
 primo actu placeo: cum interea rumor uenit,
 Datum iri gladiatores: populus conuolat:
 Tumultuantur, clamant, pugnant de loco:
 Interea ego meum non potui tutari locum.
 Nunc turba nulla est: ocium, & silentium est:
 Agendi tempus mihi datum est: uobis datur
 Potestas condecorandi ludos scaenicos.
 Nolite sinere per uos artem musicam
 Recidere ad paucos: facite, ut uestra auctoritas
 Meae auctoritati fautrix, adiutrixq; sit.
 Si nunquam auare statui pretium arti meae,
 Et eum esse quæstum in animum induxi maximum,
 Quammaxime seruire uostris commodis:
 Sinite impetrare me, qui in tutelam meam
 Studium suum, & se in uostram commisit fidem,
 Ne eum circumuentum inique iniqui irrideant.
 Mea caussa caussam hanc accipite, & silentium
 Date, ut lubeat scribere alijs, mihiq; ut discere
 Nouas expediat, posthac pretio emptas meo.

ACTVS